Prodit hinc odor cui unius fructus odoris.
Hic ascendo fugans matutina claustra pudoris.
Vinea mea pacifica in ea que habet populos tradidit eam custodibus.
Nummus mille eius. omnis terra notatur.
Scilicet nam numerus perfectus mille vocatur.
Pro tali fructu qui rerum fervet amore.
Ille vir efficitur fidei fervando vigore.
Ad utrumque referri potest quod dicitur mille tui.
Et ducenti his qui custodiunt fructus eius.
Vinea stat coram sponso qui pacis amator.
Et etiam sanctam colit. ipse suus reparator
Ipse suus doctor. suus actor et edificator.
Mille notant homines perfectos sive ducenti.
Cuius fidei fructus conservat mente libenti.
Illis nominibus numerus perfectus habetur.
Namque per hos numeros numerorum summa tenetur.
Vox sponsi que habitas in hortis amici auscultant.
Fac me audire vocem tuam.
Sponsa Christi et manens in florentibus ortis.
Cum in spe sua fidei replet et dilecto fortis.
Ergo sponsus vult eius voces audire libenter. — Predicet ut populis
Cum ipse sanctas voces asculant quisque benignus. — Perfectus quisque
Vult amando deum cognoscere mulier dignus. — Frequenter
Sed quia conantur proinde perfecte verum.
Reddit dilecto responsum sponsa secutum.
Vox ecclesie. Fuge dilecte mi et assimilare
capree hinnuloque cervorum super montes
aromatum.
Dilectus mala corda fugit sensusque malignos.
Nec penitus eos sensus cognoscere dignos.
Sed fugiens reprobos volat ad montes superorum.
Hoc facit electos summa conscendere rerum.
Electi montes sunt pleni luce serena.
Cum in cor ad alta levant bona et contemplant amena.
Quorum vir bonus superorum reddit odorem.
Qui in celo rerum tandem manet honorem.
Hinnulus est et cervus terre iure vocatus.
Descendens veterum patrum de germine natus.
Explicit vetus testamentum.
Incipit novum testamentum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1722/0296
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG